

& impartibile & nullam habens magnitudinem. Quod itaque indivisibile est & impartibile, perpetuòque motu movet, quodcunq; vel motum est, vel pro hic & nunc movetur, vel movebitur postmodum, illud, ubicunque isti motus fiunt, necessum est esse, si vera sunt, quæ allegavimus ex *l. 7. Phys. t. 10. & 8.* Ergo non uno tantum loco habetur, sed ubique est, (ubique n. mobilia sunt) primum **MOVENS DEUS**, vide sis *Didacum Masium Comm. in cap. post. l. 8. Phys. q. 4.*

⊙ 6. Ad in contrariam partem allegatos Textus dici potest, unius positionem non esse exclusionem alterius. Non n. sequitur DEUS in Cœlis est, E. non in aliis Mundi partibus; quæ consequentia? Æquè ac si diceretur; Sol montes celsos erectasq; turre illustrat; E. valles non planitiemve radiis attingit; aut viceversa. ille n. lumine suo cuncta quoquo versus collustrat, *l. de Mundo, c. 6.* Quare & DEUS, quum Cœlo locatur, non confestim in terris esse negatur, quemadmodum isti quidem perperam argumentantur. Ideò autem Philosophus DEO summum locum assignat, quia, ut habetur *cap. 6. lib. de Mundo*, præ aliis præstabiliùs, decentiùs atque augustiùs videtur ejusmodi locum illi tribuere propter ipsius Eminentiam (*Didacus l. c.* quia ibi vim suam maximamque potestatem maximè declarat.) quamvis ejus vis universum mundum pervadens, tum Solem Lunamque moveat, tum Cœlum omne circumagat, &c.

⊙ 7. Et in hoc non multum ab Apostolo Philosophus, qui *Act. 17. v. 28.* iisdem ferè phrasibus utitur, quando DEI omnipræsentiam sic exprimit: *ὅτι αὐτῶν (Θεῶν) ζῶμεν καὶ κινῶμεθα καὶ ἵσμεν.*

⊙ 8. Verùm dicis, urgendam omninò esse inter hunc & istum diversam rationem, r. q. talium, quorum alter cœlitus doctus unum esse scit & docet DEUM; alter Ethnicus, quorum more sexcenta confingit Numina, & plura fortè secundum diversas mundi plagas, quàm, quæ hic numerari, apponiq; possent. In aprico n. est, quòd pro cœlitibus Diis colant ⊙, qui labentem annum Cœlo ducit, hujusque æmulam ♃, quæ notham jactat de corpore lucem, ♃, ♂, ♁, ♀, & qui primo ponendus erat loco ♄.